

*citur sedere ad dextram Dei, quia super omnes creaturas, tam LOCO, quam beatitudine & gloria exaltata est, ut longe transcendat angelos, Cherubim, & Seraphim, sitque Deo PROXIMA, tanquam dominans omnibus angelis, hominibus, & creaturis aliis, & tanquam Judex constituta &c.*

§. 18. Dixit Cornelius, Christi humanitatem per sessionem ad dextram Dei, etiam LOCO esse exaltatam super omnes creaturas. Quis igitur locus ille? Scilicet oblectare etiam poterit Cornelius mentes curiosas suis suauibus meditationibus, animosque inanes multis explere inanitatibus. Ita enim ille in Ephes. IV, 10. p. 507. *si proprie & simpliciter accipiamus verba Apostoli, sicuti suant, uti accipienda videntur, cum nihil obstet, admittendum, Christum super omnes caelos, etiam empyreum, ascendisse, ut super illud emineat, sitque IN SPATIO illo INANI, quod est super caelum, vel parte corporis sui, vel etiam toto corpore, ita ut PEDIBUS suis insinat con-* An Christus in spatio inani.  
*vexa superficiei caeli empyrei &c. Etiam exemplo rem illustrat: sicut princeps ut ludos spectet, residet in culmine amphitheatri, ita ut capite & collo amphitheatro emineat, indeque spectacula melius conspiciat, & plura videt, quam illi, qui in medio vel in imo amphitheatri versantur, imo & ipsos residentes, eorumque ordines, ac spectantes omnes & singulos clare contemplatur; & nihilominus censetur esse, & est in ipso amphitheatro: ita se habet res de Christo insistente caelo empyreo. Ipse enim quasi mundi Dominus, mundo est superior, ut totum mundum coram se presentem sibi que subiectum habeat, recreet, dirigat & moderetur.*

§. 19. Curiosa mens plus indulget sibi. Hæc enim sibi videtur ipsa apprehendisse etiam, quo modo Christus illo in loco sit; Comment. in Hebr. I, 3. p. 844. *nec (Christus) forte etiam, qua homo, in caelo sedet tantum, sed TAM STAT, QUAM SEDET; sicut enim, sedere, situs est hominis quiescentis, regnantis, & judicantis, ita stare situs est hominis valentis, robusti, vegeti, & beati, qualis est Christus.* Et Comment. in Actor. VII, 55. p. 148. *Censent nonnulli Christum exiliisse de caelo, ac propius accessisse, ut se ipsum commode Stephano videndum exhiberet. Verum contrarium videtur verius, scilicet eum SUO LOCO mansisse in caelo empyreo, ibique visum a Stephano &c.*

§. 20. Hæc si discutiantur, vim veritatis simplicis illustrabunt. Deprehenditur enim Cornelius perplexe loqui, cum simplicissime loqui se, præfert, & profitetur, vel certe sibi non constare